



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 11. Clementis V. obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV. ac Eques Normanniæ Beneficiarius ad  
A. C. 1314. Cardinalem, qui orationem dixerat, &  
 ad Archiepiscopum Senonensem conver-  
 si recantata confessione sua se innocentes  
 pertinaciter affirmarent. Cardinales ca-  
 pitali Tribuno Parisino, qui aderat, il-  
 los tradidere asservandos solummodo, do-  
 nec amplius ea de re consultassent,  
 quod postridie futurum esset. At Rex  
 in palatio, ubi agebat, id edoctus non  
 accersitis Clericis sibi proximos consu-  
 lere satis habuit: & sub vesperum ejus-  
 dem diei duos fontes una comburi voluit  
 in parva Sequanæ insula regium hor-  
 tum inter & Augustinianos sita. Per-  
 stantes in negatione sua ad mortem us-  
 que ignem perferebant ea constantia,  
 ut præsentis omnes admiratione defi-  
 geret. Reliqui duo carceri, ad quem  
 condemnati fuerant, inclusi sunt.

## §. XI.

*Clementis V obitus.*

Papa Clemens Avenione Montilium pro-  
 pe Carpentoractum una cum curia  
 delatus sua ibi die S. Benedicti 21 Mar-  
 tii sacro in senatu coram se promulga-  
 ri jussit sanctiones Concilii Viennensis,  
 quas in ordinem redigendas curaverat,  
 ex iis septimum librum Decretalium con-  
 fecturus, sicut Bonifacius VIII sextum  
 com-

*Ravn. n. 14.*  
*Hal. vit. to. 1.*  
*p. 54. 60.*

composuerat. Sed tunc incidit in mor-<sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 bum, ex quo obiit: & ita liber ille non <sup>A.C. 1314.</sup>  
 fuit de more missus ad Universitates, nec  
 in lucem editus.

Die Cœnæ Domini 4 Aprilis Papa e-<sup>Ib. p. 54. 615.</sup>  
 dixit sententiam contra Mutinenses, ac <sup>Rayn. n. 6.</sup>  
 extorres Bononia, Mantua, & ab Æmi-  
 lia, quod Raymundum Marchionem  
 Anconitanum Papæ nepotem, cum the-  
 saurum Ecclesiæ transferendum cura-  
 ret, quanquam quadraginta virorum  
 præsidio ac litteris fidei publicæ testibus  
 instructum armatis aggressi manibus ne-  
 cassent, thesaurumque totum diripuis-  
 sent.

Papa Clemens ægrotus Burdigalam  
 deferri voluit natalem iterum haustu-  
 rus auram. Sed Rupe Mauri ad Rho-<sup>Bal. t. 1. p. 80.</sup>  
 danum prope Avenionem in dioecesi Ne-<sup>683.</sup>  
 mosana spiritum reddidit 20 Apr. 1314,  
 postquam federat annis octo, mensibus  
 decem, diebus quindecim. Joannes Vil-<sup>J. Vill. 1. 9.</sup>  
 lanus hæc de illo scripsit: Pecunias ca-<sup>c. 58.</sup>  
 ptabat adeo, ut cuncta beneficia in ejus  
 curia venderentur. Palam dicebatur  
 amasiam habere Petrocoricensem Co-  
 mitem foeminam pulcherrimam, Comitis  
 Fuxensis filiam. Nepotibus cæterisque  
 propinquis suis opes reliquit immensas.  
 Hanc Villani narrationem etiam S. An-  
 toninus Florentinus refert tomo tertio <sup>to. 3. p. 287.</sup>

Sæcul. XIV. fuæ historiæ. Corpus Clementis V primo  
A.C. 1314. Carpentoractum, ubi Cardinales cum  
 reliqua Romana curia residebant, postea mense Augusto in Vasconiam, ubi  
 natus ille fuerat, translatum, & ut præceperat, Ufestæ in dioecesi Vasatina sepultum est. Summa sedes vacavit duobus annis, tribus mensibus, ac septendecim diebus.

Rayn. n. 14.  
 J. Vill. l. 1.  
 c. 59.

Papæ thesaurus statim ut decesserat, direptus est, ac ejus nepos Bertrandus Leomanix Comes ferebatur abstulisse plus quam trecenta aureorum florenorum millia belli sacri sumptibus destinata. Præterea mense Junio ejusdem anni Hugucio Fajolus per Gibellinos suos Lucam occupavit subito; quam Pisani Germanique per octo dies expilabant, invadebantque inter alia thesauram Ecclesiæ Romanæ, quem Cardinalis Gentilis de Monte Florido Papæ jussu Roma, ex Campania & ex Patrimonio Petri auctum in Lucensi templo S. Fridiani reposuerat: sed correptus totus, atque Pisas asportatus fuit.

## §. XII.

*Vacatio summæ sedis.*

Post Papæ obitum Cardinales numero viginti tres Carpentoracti commorantes in palatio Episcopi conclave intrarunt,